



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 18. Si singuli non fuerint causa sufficiens, an obligentur ad totum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

A D D E N D A.

Q. 18. Si singuli non fuerint causa sufficiens ad totum damnum, v. g. ad spoliandum viatorem, & tamen simul sumpti fuerint causa, an singuli obligentur ad reparandum totum damnum. R. Tres sunt sententiarum, 1. est *Caj. Sot. Med. Mol. Covarr. Lay. Less. Tann.*, qui absolute affirmant, quia singuli influunt in totum damnum, uti insinuatum est n. 30. 2. Est *Nav. Silv. Adri. & aliorum*, qui absolute negant, quia singuli sunt causa tantum partialis damni, partialitate causae; & quamvis singuli influant in totum damnum, tamen non influunt totaliter, id est, damnum non habet totum suum esse à singulis tanquam causis seorsim sufficientibus ad ipsum totum ponendum. 3. *Rebell. Lugo d. 19. n. 82. & aliorum*, qui melius sic distinguunt; si singuli moveant alios ad ponendum damnum, aut si singulis non concurrentibus damnum non poneretur, singuli tenentur ad totum, quia re ipsa tum sunt causa moraliter adaequata totius damni, singuli enim potuissent & debuissent impedire, non dando suum concursum: è contrà si singuli non movent alios, & singulorum concursu sublato adhuc fieret totum damnum, singuli non tenebuntur ad totum, sed tantum ad partem, quia singuli non posuerunt nequidem moraliter vim causativam totius damni, nec illud poterant, aut saltem non tenebantur impedire.

Q. 19. Quae regula servare possint pro cognoscendo ordine servando in restitutione. R. Sequentes, quas AA tradunt cum *Lugo d. 19. f. 4.*

1. Ille tenetur prior, apud quem existit res vel